Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 811
Quelle:
Copyright:

ierosolomis bene uixisse laudabile est, loco: *ac sic et de ierosolimis et de brittannia equaliter patet aula regni celestis*, patriam conjecto, quin tamen ausim *Bedam* adpellare.

CCCLXIV.

U. 102 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 130. 8. nitide perscriptus, Librorum initiis et fronte, quae *Mathiae Corvini Hung.* Regis insignia praefert, picturata, inscribitur purpura: *De uero iudicio et prouidentia dei et ipsius gubernacione hominum et rerum mundi huius: libri octo beati Saluiani* (additum recentius *massyliensis*) *Episcopi ad Sanctum Salonium Episcopum* (additum *Vienensem*). *Prooemium.* Init ita: *Sancto episcopo Salonio Saluianus episcopus in domino salutem. Omnes admodum homines qui pertinere* &c. Et Liber I. *Incuriosus a quibusdam et quasi negligens humanorum actuum deus dicitur* &c. Et Liber VIII. finit: *que patiantur et que fecerunt.* Retinet Codex hic etiam post *Rittershusii* et *Baluzii* curas pretium suum inde, quod ex eo *Job. Alex. Brasficanus* noster aureum hoc *Salviani* non Episcopi, sed Presbyteri *Massilien.* circa *Coloniam Agripp.* oriundi, circaque an. 485. defuncti, ut pluribus *Hist. litter. de la France* T. II. p. 517. et *Fabricii Bibl. med. Lat.* L. XVIII. docent, Opus cum Literatis opera *Frobenii Basil.* 1530. f. communicaverit. An eum *Ludovici* Regis adolescentis dono, ut de quibusdam graecis Autoribus in sua ad *Cph. de Stadion* Ep. *Augustanum* Praefatione fatetur, habuerit, an vero commodatum solum, ut typis ederet, in comperto non est. Utcunque se etiam res habeat, *Ludovico* a. 1526. paludibus *Mohacsinis* hausto, et occupata mox a *Solymano Buda* opportune Codici accidit, a Bibliotheca abfuisse. Habet ille in marginibus manu *Brasficani* eadem Summaria, quae nunc in Editione *cit.* visuntur, habet et Numeros ad loca, ad quae ille Annotationes meditabatur nunc sub iisdem Numeris p. 54. ad *Salviani* calcem adjectas. Adjutum tamen et alio *Codice* fuisse suadent subpletiones et emendationes, quas quandoque in ora videas. Ita statim in *Prooemio* a prima manu defuit: *materias sibi delegissent. Fol.* 3. p. 2. *nunc dicantes* emendatur per *vindicantes* &c.

CCCLXV.

Codex membraneus lat. Sec. X. Folior. 75. 4. min. optime servatus, nitidissime scriptus et rubro distinctus ita charactere majusculo insignitur: *In. hoc. Codice. Continent. Alcimi. aviti. Vienensis. Episcopi. Libri. Numero. VI. Feliciter. De Inicio mundi. liber. Primus. De originali peccato liber. II. De Sentencia Dei liber. III. De diluuio mundi liber. IIII. De transitu Maris liber. V. De consolatoria laude Castitatis. liber. VI.* Dixi alio hujus *Vol.* loco, ut *Index* docet, de his Poematibus et R. 2132

Au-